



Disputatio juridica inauguralis de mutuo

<https://hdl.handle.net/1874/343308>

50.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
M U L T I M O,
QUAM
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
JOANNIS GEORGII GRAEVII
Politices, Eloquentiae, & Historiarum Professo-
ris Ordinarii,
NEC NON
*Amplissimi Senatus Academicus consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decretò,
PRO GRADU DOCTORATUS*
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,
Eraditorum examini subjicit
ANDREAS vander MIEDEN, Alcm. Batav.
Ad diem 9. Februarii hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc xcii.

OMNIBUS
JURISPRUDENTIÆ
FAUTORIBUS.

Eo quo par est animo

Hæc Theses Inaugurales

D. D. D.

ANDR. vander MIEDEN.

A. & Def.

DISPUTATIO JURIDICA

IN AUGURALIS
DE

M U T U O.

THEISIS I.



Utuum ita dictum est , quod ex meo fiat
tuum , ut JCtus Paulus vult in l. 2. §. 2.
ff. de reb. cred , & imperator Justinianus in
pr. inst. quib. mod. re contr. obl. , quod ta-
men magis bella allusio , quam ipsa vocis ety-
mologia videtur , quare cum Cujaciolib. 11.
obs. 37. & aliis verius existimo , hoc Vocabu-
lum originem suam trahere à mutando , quod
mutuetur hoc genere pecunia cum pecuniâ ;
dum par quantitas accipitur , & redditur : quo etiam alludere videtur
Cicero F. lib. 5. epist. ad famil. ep. 2. ad q. Metellum , his verbis : *quod autem scribis PROMUTUO INTERNOS ANIMO; quid tu exi-
stimes esse in amicitia Mutuum, nescio; equidem hoc arbitror cum parvo-
luntas accipitur, & redditur.*

I I.

Mutuum in Jure Varias recipit significations , aliquando accipitur
pro ipso contractu , aliquando pro re Mutuo data ut in l. 2. ff. dereb.
cred., aliquando etiam pro credito, stricte sumpto vocabulo , nam cre-
di appellatio latius patet quam mutui d. l. 2. & gloss. ibid.

I II.

Acturi de mutuo illud priore sensu accipiemus , ac dicimus , ut de-
scribamus , *Mutuum* est contractus juris gentium , nominatus , stricti
juris , re constans , quores fungibilis alteri ita datur ut ejus fiat , eâ le-
ge , ut is quandoque tantundem ejusdem bonitatis in genere restituat
de singulis quæ in hac definitione obveniunt latius videbimus.

I V.

Est contractus. Conventio quæ est duorum vel plurium in idem pla-

4 DISPUTATIO JURIDICA

citum consensus de re dandâ facienda vel præstanta l. i. §. 2. ff. de pact. si consideretur ut genus , duas habet species , pæctum scilicet & contractum ; ex pacto nudo nulla datur actio sed tantum exceptio , & ideo contractui opponitur , quia ex illo semper competit actio ; nam sicuti nullus invenitur magistratus , quin ideo quod sit magistratus habeat jurisdictionem , nullaque jurisdictione sine mixto imperio , sic etiam nullus est contractus , qui vi sue naturæ non habeat , & pariat obligationem actionemque ad agendum efficacem sine aliquo juris administrculo , ut in pacto legitimo : sed posset queri an mutuum , quia ab utraque parte non est obligatorium , propriè sit talis contractus ? nam *labeo* in l. 19. ff. de verb. sign. Contractum definit esse negotium , unde ultro citroque nascitur obligatio , & mutuum unà cum stipulazione expressè à contractu distinguit : sed Mutuum tamen propriè esse contractum nullus dubito , cum , (præterquam quod substantia contractus in eo non consistat , ut ultro citroque obliget) non minus propriè , si unus tantum alteri , quam si invicem contrahentes inter se ex conventione obligentur , contracta dicitur obligatio , & negotium ipsum vocatur , & est contractus Vinn. ad §. ult. inst. de obli. insuper hac in parte mihi assentitur d. §. ult. , ubi imperator Justinianus obligations distinguit in quatuor species , aut enim , inquit , ex contractu sunt , aut ex quasi contractu , aut ex maleficio , aut ex quasi maleficio ; deinde eas , quæ ex contractu nascuntur rursus distinguit in quatuor species scilicet quod vel re , vel verbis , vel litteris , vel consensu contrahantur ; unde quoque idem Justinianus in pr. inst. de obli. quæ ex quasi contr. nasc. post genera contractuum enumerata , dispiciamus , inquit , etiam de iis obligationibus , quæ quidem non propriè nasci ex contractu intelliguntur ; in quibus verbis evidenter præsupponit obligationes superius enumeratas ex contractu proprio nasci . Præterea ad probandum hanc sententiam , aliam mihi rationem suppeditat argumentum à simili deductum ; nam in d. l. 19. ff. de V. S. stipulatio cum mutuo à contractu distinguitur , & in l. i. §. 3. ff. de pact. , & l. 7 C. de his quæ vi mensue caus. , stipulatio proprio dicitur contractus , & tamen ultro citroque non parit obligationem , sed promissorem tantum obstringit , veluti mutuum accipientem ; unde constat d. l. 19. non refragari huic sententiæ , quia illic non est vera & perfecta definitio contractus , sed strictissima significatio : Varias enim habet contractus significations , nam vel accipitur stricte ut in d. l. 19. , & contractus ab una parte obligantes

gantes non comprehendit, sed tantum qui ab utraque parte obligant, vel accipitur latè, ita ut etiam quasi contractum contineat, ut in l. 20. ff. de Jud. l. 16. ff. de neg. gest. l. 49. ff. de obl. & att., vel aliis accipiatur modis: igitur hæc consequentia, contractus stricte dicitur qui est ultro citroque obligatorius, mutuum ita non est, ergo mutuum non est propriè contractus, non valet, quoniam idem verbum potest habere latam & angustam significationem, & utramque propriam dec. conf. 5. no. 4. & conf. 534. no. 5. crav. conf. 118. no. 12. mant. de tac. & amb. conv. l. 1. T. 3. no. 7. Vinn. ad §. ult. de oblig.

V.

Jurisgentium. Mutuum dicitur contractus juris gentium quia, ut & fere omnes alii contractus, ex jure gentium introductum §. 2. inf. de jur. nat. gent. & civ., & propter communem utilitatem tacito consensu ab omnibus gentibus, & ubique receptum est, adeo ut præter approbationem & modum nihil à jure civili habeat.

V I.

Nominatus. Quia certum nomen accepit, & ideo non stat in generali suo nomine, sed transit in proprium nomen contractus l. 7. ff. de pact., & obligationem actionemque producit certo jure nomini suo convenientem, nempe conditionem certi ex mutuo, non utique propter nomen, quod extrinsecum quid est atque accidens, sed vel propter utilitatem commercii, vel quia ob frequentiorem usum ex ipso nomine etiamsi nihil specialiter dictum sit, vis ac natura hujus contractus satis intelligi possit Grot. de jur. bell. & pac. l. 2. c. 12. no. 3., & hoc primam differentiam constituit inter contractum nominatum, & innominatum. Secunda est quod in nominatis regulariter, nam contrarium obtinet in contractu societatis mandati, & depositi §. 4. inf. de societ. & §. 9. de mand., l. 1. in fin. ff. depos. non est locus pœnitentiaz, quamquam res adhuc sit integra, quia statim in his oritur obligatio, quæ efficit, ut pœnitentia locum non habeat; ab initio autem libera potestas est habendi, vel non habendi contractum, sed renunciare semel constitutæ obligationi adversario non consentiente nemo potest l. 5. C. de obl. & att. l. 17. §. 3. ff. commod., & sic quæ ab initio sunt voluntatis, ex post facto fiunt necessitatis d. l. 17. §. 3. 3. in contractibus vero innominatis re integra pœnitere, & altero etiam invito à contractu recedere licet l. 1. post. pr. ff. de cond. cans. dat.

DISPUTATIO JURIDICA

V I I.

Stricti Juris. Contractus alii sunt bonæ fidei, alii stricti Juris, alii arbitrarii : qui stricti juris sunt , strictam habeat regulam, quâ omnia Arithmeticâ proportione ad æqualitatem eorum, quæ data sunt, exi-
guntur l. 3. ff. de reb. cred., ita ut neque plus , neque minus reddatur quam acceptum est l. 11. §. 1. eod. & ita judicis potestas formulæ ad stricta est, ut ultra quod petitum, judicare non possit, ideoque quod verbis inter contrahentes nou fuerit expressum, benignâ juris interpre-
tatione non possit intelligi l. 99. ff. de verb. oblig., quâ de causâ nec
judici in actione stricti juris dato, nomen arbitrii convenit, nec judi-
cio nomen arbitrii, quæ in contractibus, & actionibus bonæfidei con-
traria sunt l. 24. ff. depos. l. 43. l. ult. ff. & l. 15. & 17. C. fam. ercise.
l. 38. ff. pro soc. Quod discrimen respiciens Seneca lib. 3. de benef. melior,
inquit, videtur conditio causa bona , si ad judicem, quam si ad arbitrum
mittatur: quia illum formula includit, & certos, quos non excedat, ter-
minos ponit: hujus libera , & nullis constricta vinculis religio est. idem
Seneca, lib. 2. de clement. ad hanc judiciorum differentiam alludens;
Clementia, inquit, liberum arbitrium habet , nec sub formula, sed ex
bono & aequo judicat. Ratio autem ob quam prætor judici in quibus-
dam liberam potestatem dedit, clausulamque illam bonâ fide adjecit,
in aliis vero judicem formulæ adstrinxit, petenda videtur à naturâ, &
conditione ipsorum contractuum: quoniam quidam contractus ita
comparati sunt, ut in his interpretandis æquum sit laxiorem judici po-
testatem tribui; quidam ita , ut certis terminis eorum interpretatio
sit circumscribenda. Prioris generis sunt, contractus mutua præstatio-
nis in quibus eterque contrahentium & obligatur, & obligat. Poste-
rioris, ubi unus tantum obligat , & unus obligatur. Etenim ubi uter-
que alteri obligatur , ibi ex re utriusque est , & ex voto communi,
non tam quid lingua nuncupatum sit, quam quid æqui bonique ratio
utrinque postulet, spectari. Cum autem unus tantum obligatur, non
est admittenda tam laxa interpretatio, putâ, ut etiam quid præstetur,
de quo non expresse convenit aut quod natura contractus non conti-
netur, ex definitione l. 99. ff. de verb. obl. & l. 3. ff. de reb. cred. Vid.
Vinn. ad §. 28. inst. de act. unde recte dicitur in l. 7. ff. de neg. gest. in
bonæ fidei judiciis tantundem officium judicis valere, quantum in stri-
cti juris expressam alicujus rei stipulationem. Mutuum autem esse con-
tractum stricti juris, vel ex eo apparet, quod non connumeretur inter
cos

eos qui sunt bona fidei §. 28. *inst. de act.*, vel quod adjectio loci fiat arbitriatum l. 6. ff. *de eo quod certo loco*, cum hoc in contractibus bona fidei locum non habeat l. 7. ff. *cod. in pr.* Hinc jam sequitur regulariter sine stipulatione nec ex mora, nec etiam ex pacto usuras in stricti juris judiciis, nec ideo ex mutuo, deberi l. 3. C. *de usur.*, & ne quidem earum obligationem litis contestatione induci, ut *Corasius lib. 2. Miscell.* o. 7. arbitratur; Verum est, sunt quidam casus, quibus hoc cessat, & ex nudo pacto usuræ debentur, veluti si civitas alicui mutuam pecuniam dederit l. 30. ff. *de usur.* item si frumentum vel alia ejusmodi species credita sit l. 12. C. *de usur.*, sic etiam in mutuo pecuniae traje-
ctitiae l. 5. *in fin.* & l. 7. ff. *de naut. felon.*; sed in his speciale quid est, & id non ex eo fit, quod incontinenti hæc pacta adjecta, & proinde mutuo in sint, (nam hoc non in contractibus stricti juris, sed bona fidei obtinet l. 7. §. 5. ff. *de pact.*) sed quia speciatim, & nominatim jure civili confirmata sunt pacta legitima l. 6. ff. *de pactis*, *Vinn.* ad §. ult. *inst. de obl.* n. 8., & ab imperatore Justiniano argentariis tale Privilegium concessum est, ut possint citra stipulationem, imo citra ullum pactum usuras exigere *Nov. 136. c. 5.* ergo talia specialia gene-
rali regulæ non obstant.

V I T I I.

Re constans. Mutuum re constare dicitur non per oppositionem quasi consensus non requireretur, nam nullus contractus sine eo celebrari potest l. 1. §. pen. ff. *de pact.*, & quidem adeo necessarius est, ut etiam omnia substantialia ad contrahendum mutuum interveniant, tamen si animus contrahentium, sive eorum consensus deficiat, mutuum intelligi non possit l. 18. & 19. ff. *dereb. cred.*, sed eo sensu quod præter consensum accedere debeat ipsa rei traditio l. 2. §. 3. ff. *de reb. cred.*, & quod nudo consensu, re non interveniente, mutuum contrahi nequeat; sola enim conventio de mutuo ipsum contractum mutui non efficit l. 30. ff. *cod.* sed aliud genus contractus. Contractus autem vel re, verbis, litteris, vel consensu ineuntur, in his præter consensum, nihil, in illis vel res, vel verba, vel litteræ desiderantur l. 2. ff. *de obl.* & *act.* sed queret forsitan aliquis, cum consensus in mutuo contra-
hendo sit necessarius, cur re contrahi dicatur? nam denominatio de-
bet fieri à digniori, neque in dubium venit, quin consensus, qui ab
animo pendet, quacunque re sit præstantior l. 44. ff. *de adit. edict.* l. 2.
ff. de status hom. & §. 37. *inst. de rer. divis.* huic respondet, quod mu-

3. DISPUTATIO JURIDICA

tuum non dicitur consensu contrahi, quia ille communis est cum omnibus aliis contractibus l. 1. §. 3. ff. de pact. sed re magis contrahi dicitur, quia hæc est propria mutui forma, ut sine rei interventu nullo modo contrahi possit, nam re obligamur, cum res ipsa intercedit l. 52. ff. de oblig. & att.

I X.

Quo res fungibilis. Materia mutui, sive res circa quas mutuum versatur, variè, tum genera, tum quantitates, tunc iterum res fungibles vocantur, id est, quæ ex certo numero, pondere & mensura extimantur, & hoc modo sunt in commercio, ut vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata; non autem res omnes quæ appendi, numerari, & ad mensurari possunt, alioqui nihil fere esset, in quo mutuum non consistet: aliud scilicet est pondus, numerum mensuram habere, aliud ex pondere, numero, & mensura constare *Vinn. in pr. inst. quib. mod. re contr. obl.*, Hinc mutuum dici non potest, cum equi, boves, libri ad numerum, vel pondus dantur, qui propria quadam, partim naturæ, partim artis vi, & qualitate constant, quâ ab aliis equis, bobus, libris ita differunt, ut quamvis in pari numero, ac pari pondere dentur, ejusdem tamen pretii, & bonitatis non sint, nam in ea affectus cadit, aliud alio præstantius est, & alterum alterius vicem non sustinet: ratio autem quare in rebus fungilibus tantum, mutui datio consistat, est, quoniam illæ in genere suo functionem sive permutationem recipiunt per solutionem magis quam in specie, l. 2. §. 1. ff. de reb. cred., hoc est, quia hæc res natura ita comparatae sunt, ut earum quantitas, vis ac valor magis inspiciatur, quam corpus, & sic aliæ aliarum vice fungantur, adeoque si loco speciei mutuo datae genus solvas, idem solvis: in cæteris vero rebus ideo in creditum ire, id est, Mutuum contrahere l. 19. §. 5. ff. ad SCtum Vellej. non possumus, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. & functionem etiam in eodem genere non recipiunt.

X.

Alteri ita datur, ut ejus fiat. Ut hic contractus rectè ineatur, requiritur ut mutuans sit dominus rei mutuandæ, aut habeatur loco domini, ut servus & filius familiæ respectu pecunia peculiaris l. 2. §. 4. ff. de reb. cred. nam forma mutui propria est ipsa rei datio, sive dominii rerum in accipientem translatio; dare autem hic significat dominium trans-

transferre §. 14. *inst. de att. & l. 75.* §. *ult. ff. de verb. obl.*, sed quid? an mutuum cum cæteris contractibus re constantibus rei traditionem non communem habet? Maxime; sed tamen in eo à reliquis secernitur, quod in illis res non ita tradatur, ut accipientis fiat §. 2. *inst. quib. mod. re contr. obl.* & dominium transferatur, sed ad alium finem, ut in commodato ad cerrum usum, in deposito ad custodiā, in pignore ad securitatem, at in mutuo res ita datur accipienti, ut ejus fiat *pr. inst. eod.*, idque adeo mutui proprium esse creditum est, ut etiam nomen ab eo accepisse videatur, quod de meo fiat tuqm *l. 2. §. 2. ff. de reb. cred.*, ideo quoque est quod in mutuo omne periculum transeat in accipientem *l. 1. §. 4. ff. de obl. & att.*, & is ne casu quidem fortuito liberetur, sed tamen obligatus maneat §. 2. *inst. quib. mod. re contr. obl.* quod in nullo alio contractu obtinere, notissimi juris est, hinc creditori non vindicatio, quæ solis dominis competit, sed tantum condicō mutuatæ pecunia datur, nemo autem rem suam condicit, aut sibi dari oportere intendit, quia quod jam alicujus est, id amplius ejus fieri non possit §. 14. *inst. de attion.*, nam quod nobis debetur, quod est in credito, proprie nostrum non est *l. 27. §. 2. l. 34. pr. ff. de aur. arg. leg.*, & Boët. in top. lib. 2. *pecunia in nominibus debita, non est nostra, sed debitorum*, & ita in *l. 1. ff. de liber. leg.* & *l. 15. ff. de reb. cred.*, quare non male mutuum à Cujacio definitur, alienatio pecunia sub lege reddendæ quantitatis ejusdem parat. *C. si cert. petat.* dantem ergo dominum esse oportet, quoniam non dominus rei alienæ dominium transferre nequit; unde sur pecuniam quam furatus est mutuo dans, citra voluntatem domini, creditam non facit numeratione *l. 13. ff. de reb. cred.* similiter socius dans mutuo de pecunia communi, non potest constitutere mutuum nisi cæteri socii consentiant, quia suæ partis tantum alienationem habet *l. 16. ff. eod.* sed videamus rationem cur in mutuo dominium transferatur, nimirum, quia mutuum consistit in rebus fungilibus, quæ usu consumuntur, seu quarum usus consistit in abuso, id est, consumptione *l. 5. §. 1. & 2. ff. usus fr. ear. rer. que usu cons.* quibus ne uti quidem liceret, nisi ea lege darentur, quoniam usus eorum sine consumptione plane nullus est.

X I.

Eâ lege, ut is quandoque. Si certum solutionis tempus contractui adjectum sit, hoc ab utraque parte observari debet; sed si nihil inter contrahentes de tempore conventum, licet, quoties in obligationibus dies non ponitur, præsenti die pecunia debeatur *l. 41. §. 1. ff. de verb. obl.*,

B

tamen

10 DISPUTATIO JURIDICA

ramen non statim debet creditor cum sacco, ut ajunt, venire paratus, quoniam puræ obligationes non eo cum rigore explicantur, ut ipso momento debitorem urgendi ius tribuant *l. 105. ff. de solut.* quippe adjuvari nos, non decipi beneficio oportet, & non serendus est talis onerosus creditor *l. 17. §. 3. ff. comm.* sed spacium aliquod modicum relinquendum est debitori *l. 11. §. 1. ff. de conslit. pecun.*, intra quod re commode utatur & rem, quæ non est in expedito, quæsumit eam, & tradat; nam pertinet etiam ad causam mutui finalem, eo animo dari & accipi, ut aliquandiu re creditâ fruatur debitor *d. l. 17. §. 3.*

X I I.

Tantundem. In mutuo simul & semel, cum particularem solutionem sive per partes factam creditor invitus non tenetur admittere *l. 41. §. 1. ff. de usur. l. 6. C. de solut.*, nec obstat *l. 21. ff. de reb. cred.* cum in illâ lege pars debiti liquida, pars illiquida esset, tantum reddendum quantum acceptum est, & nullo pacto effici potest, ut pro decem reddantur undecim, nam re non potest contrahi obligatio, nisi quatenus datum sit *l. 17. ff. de pact. l. 11. §. 1. ff. de reb. cred.*, qua propter si nihilominus ita inter contrahentes convenerit, exigi non potest ut sors, cum non sit in sorte; non ut usura, quia usura pecuniae creditæ ex pacto absque stipulationis vinculo regulariter non debetur *l. 3. C. de usur.*; non ut donatio, quia ea nunquam præsumitur *l. 7. ff. de donat. junct. l. 15. ff. de prob.*, & sic debitor semper liberatur reddendo tantundem: at verò è diverso rectè convenire potest, ut in minorem quantitatrem quam data sit contrahatur obligatio, putâ, ut pro decem novem reddantur. *l. 11. §. 1. ff. de reb. cred.*

X I I I.

Ejusdem bonitatis. Restituenda est in mutuo res ejusdem bonitatis, licet nihil de eo cautum sit, nam in contrahendo quod agitur pro cauto habendum est, id autem agi intelligitur quod res ejusdem bonitatis solvatur, qua datum, quoniam hoc natura mutui continetur *l. 3. ff. de reb. cred.*, ideo vinum novum scilicet si deterius sit, pro vetere non rectè redditur *d. l. 3.*, deterius vel minus bonum solvendo, aliud pro alio solvit, quod invito creditori (volenti autem, & consentienti quæcunque res in solutum dari potest *l. 17. & pen. C. de solut.*) fieri nequit *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.* Hinc quæritur, an pecunia in alia moneta possit solvi? & quare affirmativam non amplecterer non video, præsertim si ex tali solutione creditor nullum patiatur damnum *l. 99. ff. de solut.*

INAUGURALIS.

solut. aut expresse in contrarium non convenerit, nam nummi præbent usum in quantitate, & non tam ex materia æstimantur, quam ex hominum instituto, seu valore impositio, id est, in nummis non tam inspicitur corpus, materia, numerus, vcl qualitas, quam quidem potestas, valor, seu æstimatio l. 1. ff. de contrah. empt. l. 65. ff. de verb. obl. Vinn. pr. inst. quib. mod. re contrah. obl. n. 11. unde in l. 159. ff. de verb. sign., aurei continentur sub æris appellatione, sic etiam accipiendum illud Senecæ 6. de benef. c. 5. pecuniam dicimus reddidisse quamvis numeravimus pro argenteis aureos: quare non adversatur huic sententiæ, quod aliud pro alio non solvatur invito creditori, quia non videtur aliud solvi pro alio aut pecunia deterior quam erat credita, quoniam idem valor qui datus restitutur Perez. in Cod. ad tit. sicut. pet. n. 23.

Vehemens etiam est quæstio, & acriter inter D. D. agitata, cujus temporis ratio habenda, si valor Monetæ mutatus sit intra tempus restitutio, præscriptum, utrum contractus, an vero solutionis? Varii variè sentiunt, alii tempus initi contractus inspiciendum, & omnem mutationem periculo, & commodo debitoris cedere certant, inter quos sunt Car. Molin. tract. de usur. n. 693. & seqq. Donell. ad l. 3. ff. de reb. cred. n. 10. & 11. Perez. in cod. eod. loc. n. 24. Voët. in suo Compnd. eod. loc. n. 10., alii tempus solutionis spectandum esse censem ut Bart. in l. 101. ff. de sol. Bald. in l. 41. ff. de jur. dot.; alii iterum distinguendum putant intra mutationem Monetæ intrinsecam, vel extrinsecam, & priori casu contractus, posteriori solutionis tempus admittunt ut Vinn. pr. inst. quib. mod. re contr. obl. n. 12. & authores ibi allegati; mihi tamen, dissentium argumentis non obstantibus, priorum sententia verior & solidissimis fundamentis inniti videtur, præcipue cum ex pluribus monetæ speciebus, una tantum mutata sit, reliquis in suo statu manentibus, quia ut modo dictum est, pecunia in alia Moneta potest solvi, non corpora, sed quantitates in pecuniâ spectentur, & æstimatio statim ab initio substantiam capit neque ex post facto mutari potest l. 94. §. 1. ff. de solut. l. 1. ff. de contrah. empt. l. 69 ff. eod. l. 3. ff. de reb. cred. l. 3. §. ult. ff. de act. empt. Aliud tamen obtinet, invino, oleo, & frumento, in quibus tempus solutionis inspicitur, ita ut æstimatio præcedentis temporis in quæstionem non veniat, sed & auctæ commodum, & diminutæ incommodum pertineat ad creditorem per l. 22. ff. de reb. cred., quippe æstimatio in his extra rem est, magisque proficitur ex rerum copia aut inopia, quam bonitate Donell. ad l. 3. ff. de reb. cred. n. 5. & seqq.

12 DISPUTATIO JURIDICA

In principio hujus theses dixi natura Mutui quidem contineri, ut res ejusdem bonitatis restituatur; sed de ejus substantia sive essentia tamen non est: nam bonitas est tantum quædam qualitas, quæ, si commutetur, speciem non mutat, quæ autem de Naturâ contractus sunt Mutari possunt, quia nihil de substantia detrahitur. *Vinn. pr. inst. quib. mod. re contr. obl. No. 13.* sic. *Ex. gr. de naturâ emptionis, & venditionis est, ut vendor evictionem præstare debeat l. II. §. 2. ff. de aet. empt.* sed potest conveniri ut vendor de evictione non teneatur, & tamen emptio & venditio substituit *gloss. in l. 72. ff. de contrah. empt.* quia nihil de substantia ejus detractum; ideo etiam salvo manente Mutuo per pactum mutari potest, ne res eiusdem bonitatis reddatur.

X I V.

In genere, non in specie restituat. Præmittendum censeo longe aliter hæc verba Genus & speciem apud JCtos, quam apud philosophos accipi; nam quod ab his individuum, ab illis species vocatur, & quod philosophis species, id JCtis genus est.

In contrahendo mutuo, de ejus substantia sive natura immutabili est, ut solutio fiat in genere, & ideo hoc pacto mutari nequit, nam substantia contractus, dicitur principalis ipsius essentia, quæ submotâ nullius est momenti. *l. 8. §. 17. ff. de transact.* Licet autem contrahentes ab initio possint, quem velint contractum celebrare, tamen non possunt formam ipsorum contractuum à legibus constitutam immutare, & ideo contractus donec est in fieri ex voluntate contrahentium quam liber formam potest suscipere, sed si unam speciem elegerint, illius formam à lege traditam debent observare, nec possunt eam immutare. *Mant. de tac. & amb. conv. l. 8. r. 4. No. 21.* si ergo inter contrahentes ab initio convenerit, ut eadem res sive species, quæ data est, restituatur, mutuum non contrahitur, sed vel depositum, commodatum, vel alias contractus. *l. 2. in pr. ff. de reb. cred. & l. 1. §. 1. ff. de obl. & aet.* sed post quam mutuum jam est contractum, non adversatur Mutuo, neque quicquam impedit, quo minus eadem res reddi possit, si forte non sit consumpta aut deterior facta, cum mutuum per restitutionem non contrahitur, sed distrahitur. *§. 1. inst. quib. Mod. re contr. obl.* & creditor nullum exinde damnum patitur. *l. 101. ff. de solut.* quod autem mihi prodest, & alteri non nocet facile concedendum est. *l. 1. §. 11. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* non solum concedendum, sed & invito creditore hoc fieri potest, nam cum obligatio Mutui

Mutui exigat ut res ejusdem generis & bonitatis reddatur, non dubium est, quin sit in potestate debitoris, quam speciem ex eodem genere velit solvere, quia in obligatione generis, debitoris est electio, & sic ipsius rei accepta solutione, vel maxime rem ejusdem generis, & bonitatis reddit. *Vinn. pr. inst. quib. mod. re contr. obl. No. 8.*

Regulariter ipsares in genere est restituenda, non autem rei aestimatio, quia illa credita non est, & prore credita invito creditori obtrudi non potest arg. l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. 1. ff. de rer. perm. nisi res aestimata data fuerit; quod si tamen eveniat, & necesse sit condemnacionem fieri in rei petitæ aestimationem, quia forte res præstari non posset, vel mutuantis intersit ob moram factam, easdem res in genere non reddi, queritur ad quod tempus aestimatio referenda sit, an ad tempus quo res data, an litiscontestata an vero sententia? & sabinus respondet in l. 22. ff. de reb. cred. si dies certus sit adactus quo mutuum reddendum est, aestimationem fieri, quanti eo die res plurimi fuit l. ult. ff. de cond. tritic. si autem de die nihil convenit, tunc quanti res plurimi fuit à tempore moræ usque ad tempus litiscontestatae l. 3. §. 2. ff. Commod., quia hic versamur in contractu stricti juris; nam alias terminus, à quo incipiat rei aestimatio in contractibus bona fidei, est mora, & terminus ad quem, est tempus rei judicatæ d. l. 3. §. 2. si autem his casibus locus solutionis sit adactus, sumitur aestimatio ejus loci ubi dari debuit, si non, tunc spectatur aestimatio loci ubi petitur. l. ult. ff. de cond. tritic.

X V.

Quamvis traditio ad hujus contractus perfectionem desideretur, non tamen præcise veram intervenire necesse est, sed & ficta sufficit, ideo etiam mutuum potest dividi in ordinarium sive verum, & in singulare, vel fictum. Mutuum ordinarium sive verum est, quod fit per actualem præstationem, quando scilicet mea pecunia, à me tibi ita datur, ut tua fiat l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. Mutuum singulare sive fictum est, quando lex singit intervenire, quæ non intervenierunt, & hoc fit variis modis. 1. per consumptionem rei alienæ l. 11. §. ult. l. 12. & 13. ff. eod. 2. si furiosus alicui mutuam pecuniam dederit, ea que consumpta fuerit l. 12. ff. eod. vel per fictionem brevis manus, cum æquitate suadente occultatur actus qui alias intervenire debisset, & sic quidem triplici modo. 1. cum pecunia, quæ ex una causa debetur, in causam mutui convertatur l. 5. ff. eod. nam jure singu-

74 DISPUTATIO JURIDICA

lari singitur pecunia ex unâ causâ mihi debita, prius à te mihi numerata, & deinde à me tibi reddita, cum autem præsens sis, facile mihi pecuniam dare potuisti, & ego illam tibi reddere, & sic non adversatur l. 34. ff. Mand. quia illic hæc fictio locum habere non potuit, cum ibi dominus habitaret in alio loco, & etiam procurator ut manifeste patet ex d. l. 34. 2. si debitorem meum jussero, tibi, mutuam pecuniam à me petenti, solvere l. 15. ff. de reb. cred. 3. cum res vendenda traditur, ut pecunia inde redacta sit mutua l. 11. in pr. ff. eod. Mutuum etiam est vel purum, vel conditionale. Purum est quando statim dominium transit in accipientem cum obligatione restituendi tandem in genere. Conditionale est, quando mutui datio pendet, & ex post facto confirmatur, veluti si dem tibi mutuos nummos, ut si conditio aliqua extiterit tui fiant, siisque mihi obligatus l. 8. & 10. ff. eod. nam omnia quæ inseri stipulationibus possunt, eadem possunt etiam numerationi pecuniæ, & ideo & conditiones l. 7. ff. eod. §. 2. inst. de verb. oblig.

X V I.

Hucusque vidimus quid sit mutuum, quænam ejus natura, requisita, & effecta, circa quas res versetur, & quotuplex sit, restat ut videamus, quinam mutuum dare & accipere possint & nequeant, quænamque tandem ex mutuo detur actio.

X V I I.

Mutuum dare possunt non tantum omnes qui domini sunt, & liberam rerum suarum administrationem habent (nam non sufficit mutuantem esse dominum, sed oportet eum quoque habere potestatem pecuniæ alienandæ, quare pupillus sine tutoris autoritate mutuum neque dare, neque accipere potest l. 19. §. 1. ff. de reb. cred.) sed & alii qui loco domini habentur, ut servi, & filii familiæ, qui peculiares nummos mutuo dantes actiones acquirunt domino, vel patri l. 2. §. 4. ff. eod. licet autem pecuniæ peculiaris domini non sint, tamen voluntate viceque patris, & domini istas pecunias mutuas facere intelliguntur: interdum etiam qui dominus non est, sed mandatum habet à domino, nomine domini potest mutuo dare pecuniam, & sic ei obligationem acquirere l. 26. ff. Eod. l. 126. §. 2. ff. de verb. obl. potest & hoc facere procurator sine mandato, sive negotiorum gestor sed tunc domino liberum est id nomen vel mutuum reprobare, cessis tamen

actio-

actionibus negotiorum gestori, cui etiam sine cessione utilis actio datur l. 4. c. si cert. per. Verum è diametro his obstat videtur §. 5. inst. per quas person. cuig. acq. & l. 1. C. eod. ubi dicitur, per liberas personas in potestate nostra non constitutas, possessionis causâ exceptâ, nihil nobis acquiri posse earum rerum, quæ civiliter, id est, ex contractu à jure civili approbato vel invento, acquiruntur, nimirum obligaciones, & actiones personales l. 53. ff. de acq. rer. dom. & hoc quidem esse indubitati Juris; nam culpa est se immiscere rebus alienis l. 36. ff. de Reg. Jur. & jus civile ita comparatum est, ideoque stipulationes inventæ, ut sibi quis, non alteri acquirat l. 38. §. 17. ff. de verb. obl. quo sit ut nec stipulari quisquam alteri possit §. 18. inst. de immil. stipul. nec obligationem actionemve acquirere, quia obligatio, nisi ex nostro contractu vel personâ originem habeat, actum ipso jure nullum efficit l. 11. ff. de obl. & aet. nihilominus propter promiscuum commercium utilitatis & negotiorum expediendorum ratione suadente, singulariter in Mutuo contrarium receptum est, adeo ut per procuratorem, & alios, domino absenti, imo & ignorantie actio creditæ pecuniae sive condicione certi ex mutuo acquiri possit, si videlicet pecunia nomine domini mutuo data sit l. 9. §. pen. ff. de reb. cred. l. 2. c. per quasperf. nob. acq. & quidem ita, ut cessio actionis non requiratur, sed supervacua sit d. l. 2. omnibus ergo, quibus à lege non est interdictum licet pecuniam mutuo dare arg. l. 28. §. 2. ff. ex quib. caus. Major. & l. 1. §. 1. ff. de testib.

X V I I I.

Mutuam pecuniam dare non possunt. 1. furiosus, quia cum non habet consensum, nullum negotium potest contrahere l. 1. §. 12. ff. de obl. & aet. nam consensus in omni contractu, ideoque etiam in mutuo requiritur neque dominium sine consensu domini potest in alium transferri l. 55. ff. eod. & mutuum non contrahitur nisi res accipientis fiat l. 2. ff. de reb. cred. si tamen furiosus mutuam alicui pecuniam dederit eaque consumpta fuerit, mutuum ex juris interpretatione convalescit l. 12. ff. eod. & gloss. ibid. vel, ut quidam putant, condicione sine causa datur per l. 11. §. fin. l. 12. in fin. l. 13. in pr. ff. eod. & l. 56. §. 2. ff. de fide jussi. 2. prodigus cui bonis est interdictum l. 1. ff. de curar. furios. l. 6. ff. de verb. oblig. 3. pupillus; quia sine tutoris auctoritate conditionem suam deteriorem facere nequit l. 9. ff. de amb. tut. ideoque si absque ea auctoritate pecuniam mutuam dederit, non contrahit

16 DISPUTATIO JURIDICA

trahit obligationem, quia pecuniam non facit accipientis, vindicari igitur possunt nummi sicuti extant; si malâ fide ab eo qui accepit, consumpti, ad exhibendum de his agi potest; si bonâ fide, condicitionem habet §. 2. *inst. quib. alien. licet vel non*, idque non alia ratione, quam quod factum ejus intelligitur ad eum qui accepit, pervenisse l. 19. §. 1. ff. de reb. cred. 4. prohibentur præsides provinciæ l. 33. ff. eod. durante officio, vel per se, vel per interpositas personas in sua provincia mutuo dare l. 3. c. si cert. pet. & perez. in cod. add. iit. No. 5. reddit rationem, scilicet ne illi ob potentiam vel gratiam quâ pollent, à provincialibus aliquid vi extorqueant, & quæstus studio à curâ provinciæ administrandæ avocentut, 5. is qui in provincia quasi emptor legum atque provinciæ versatur, prohibetur judici fenebrem pecuniam mutuare sub pœna exilii, tam danti quam accipienti imposta l. 16. C. si cert. pet. ne ita obœrato mutuanti judge, per eum, leges, jura atque provinciam nundinetur; quod non fieri creditur ab eo qui est alterius provinciæ, & nihil negotii habet apud illum judicem, cui proinde mutuare non prohibit d. l. 16. 6. prohibentur collectarii pecuniam credere judici, honorem potestatemque ambienti, ut cù magistratum emeret, etiam sub pœna exilii d. l. 16. quinam sint collectarii videre est in gloss. add. l. & alciat. lib. 4. de verb. sign.

XIX.

Mutuum accipere possunt omnes, qui & efficaciter obligari, etiam civitas, cum utatur jure privatorum l. 16. ff. de verb. sign. per suos administratores; ita tamen ut civitas non obligetur ex Mutuo per eos accepto, nisi probetur mutuum in rem civitatis esse verum, alioquin ipsi potius administratores suo nomine essent conveniendi l. 27. ff. de reb. cred. & hæc probatio videtur incumbere creditori per gloss. in d. l. 27. l. unic. C. de sol. & lib. deb. civit. & auth. hoc jus porrectum C. de sacro sanct. eccles. sunt tamen casus quibus hoc fallit, & non necesse est probare mutuam pecuniam in utilitatem civitatis fuisse veram; ut si civitatis administrator, vel syndicus qui mutuam pecuniam accepit, mandatum speciale ad id habeat arg. l. 13. ff. de instit. att. vel si syndicus sine mandato speciali nomine civitatis mutuum acceperit, & postea generale concilium civitatis id ratum habuerit, quia ratihabitio retrotrahitur, & æquiparatur. Mandato l. ult. C. ad scutum Maced. idem ut de civitate, dicendum est de universitatibus, ecclesiis, & aliis venerabilibus locis Nov. 7. C. 3.

Pro-

Procurator autem privati qui speciale habet mandatum, vel generale cum libera administratione etiam potest, & accipiendo mutuam pecuniam nomine domini, dominum obligat, quia quod quis per alium facit ipse fecisse videtur, licet pecuniam in rem ipsius domini non vertat nam sufficit mandatum; quod vel in domino patet, qui si convenitur actione quod jussu ex contractu servi, non requiritur, id quod petitur in rem domini fuisse versum, quia quodammodo cum eo contrahitur qui jubet l. 1. in pr. ff. quod *Jubus*.

Servus, quamquam efficaciter obligari, aut ex contractu conveniri nequeat l. 6. C. de *Judic.* §. 6. *inst. de iuris. stipul.* l. 14. ff. *de obl. & ast.* tamen mutuam pecuniam accipere potest, & si acceperit, non est dubium quin dominus exinde teneatur, & obligetur de peculio, & si non minus in peculio sit, quam creditor persequitur, insolidum; si vero minus inveniatur, eatenus tenetur, quatenus in peculio est §. 36. *inst. de ast.* & si pecunia à servo in rem domini versa sit, datur creditori contra dominum actio de in rem verso, quæ perpetua est, & per quam solidum consequitur, §. 4. *inst. quod cum eo qui in alien. potest.* l. 7. C. *eod. l. 1. ff. de in rem verso;* sed videtur validè huic sententie posse objici, quod jure Civili nemo ex contractu alterius obligetur l. 1. C. *ne ux. pro mar.* l. 1. C. *ne fil. pro patr.* l. pen. C. *quod cum eo qui in alien. potest:* ne is quidem qui contrahentem in potestate haberet, §. 10. *inst. de ast.* nam etsi jus potestatis facit, ut servus domino, filius patri obligationem, & actionem acqnirant, non efficit tamen ex contrario, ut pater, & dominus ex contractu filii, aut servi obligentur, atque alteri actio adversus eos acquiratur: prætori tamen æquum visum est ex contractu servi, aut filii patrem & dominum ad quos emolumentum contractus pertinet, saltē hactenus obligari, quatenus causa contrahendi, id est, peculum filio, aut servo concessum, patetur, ne scilicet qui bonâ fide cum servis & filiis contraherent, quos peculum habere scirent, circumvenirentur §. 10. *inst. de Ast. & Vinn. ad eund. §.*

Præsides provinciæ licet pecuniam mutuam dare non possint l. 33. ff. *de reb. cred.* eandem tamen sumere non prohibentur, & ideo etiam illis licet l. 34. ff. *eod. in fin.*

X X.

Mutuam pecuniam accipere non possunt, qui nec obligari, ut l. Furiosus qui non obligatur, quia non intelligit quid agit, & sine

C

consensu

18 DISPUTATIO JURIDICA

consensu nulla ex mutuo contrahitur obligatio §. 8. inst. de innat. stipul. l. 19. ff. de reb. cred. in pr. 2. Prodigus cui bonorum administratio interdicta est, talis enim furioso comparatur, & ideo neque ex mutuo, neque ex alio contractu obligari potest. 3. Pupillus, si infans est, id est, qui septem annos nondum implevit l. 18. C. de jur. delib. l. 14. ff. de sponso, vel infantiz proximus, id est, qui infans nuper esse desit, mutuam pecuniam accipiendo nec quidem naturaliter obligatur l. 59. ff. de obl. & act. c. m. gloss. hi namque non multum à furioso distant, quoniam nullum habent intellectum §. 9. inst. de innat. stipul. 4. Pupilli pubertati proximi etiam accipiendo mutuam pecuniam non obligantur, scilicet sine tutoris autoritate, quia sine eâ neque ex mutuo neque ex aliis causis obligari possint §. 9. pr. inst. de aut. tut. nisi quatenus facti sine locupletiores, si nempe pecuniam bene inprædia, aut emptionem rerum necessiarium collacaverint l. 3. §. 4. ff. de neg. gest. natura enim æquum est, neminem cum alterius damno locupletari l. 14. ff. de cond. indeb. l. 209. ff. de reg. jur. 5. Adolescens luxuriosus, quia quod tali creditur, perdituro creditur. l. 12. §. 11. ff. mand. l. 24. §. 4. ff. deminor. scilicet si mutuans eum talem esse non ignoraverit. 6. Judex, & is qui honorem ambit prohibentur eo modo, ut in thesi præcedenti dictum est. 7. Prohibetur quoque mulier si intercedendi animo fiat, nam tali casu tuta est beneficio SCri Vellejani, quo cautum, ne feminæ pro alio intercedant tot. tit. ff. & C. ad SCrum Vellej. hoc casu exceptio mulier & dare, & mutuum accipere potest l. 4. §. 1. ff. ad SCr. Vell.

Servus uti exprimillis constat, mutuum dare, & accipere potest, & in eo melioris est conditionis quam filiusfamilias, nam licet ille ex contractu suo & ipse obligatur l. 39. ff. de obl. & act. & patrem obligat de peculio §. 10. inst. de act. l. 3. §. 5. & seqq. ff. de pecul. & sic creditor duos sibi habet obligatos debitores; una tamen causa excipitur, ex qua placet nec ipsum filium, nec patrem ejus obligari, nempe si pecuniam mutuam acceperit, quod effectum est SCti Maced: quia sepe filiusfam. onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur §. 7. inst. quod cum eo quis in al. pot. quare si tamen filiusfam. mutuam pecuniam acceperit, cum effectu non obligatur, quia semper se rueri potest exceptione SCti Maced. (unde colligi potest ipso jure cum tamen esse obligatum, quod emam pater ex l. 10. ff. ad SCr. Maced. cum non opposita exceptione sequatur

sequatur condemnatio); & danti quidem post mortem patris filiis fam. repetitio, & aduersus filium fam. heredes ve ejus, patrem, sive iussores & mandatores, quia haec exceptio realis est, l. 7. §. 1. ff. de except. actio denegatur l. 9. §. 3. ff. eod., & l. 1. ff. eod. in pr. ratio subjungitur, ut scilicet scirent, qui pessimo exemplo scenerarent, nullius posse filiis fam. bonum nomen vel exspectata patris morte fieri: nam filius fam. non est idoneus pecuniae mutua debitor, & sic filios fam. credere, propriè est perdere ut *Gloss.* addit in d. l. 1.; & hoc extenditur de filiis ad omnes qui in potestate parentum sunt, sine discrimine sexus aut gradus l. 9. §. 2. & l. 14. ff. eod., quare emancipati huc non pertinent l. 3. §. ult. ff. eod., nec qui quoquam alio modo in patria potestate esse desierunt. Sed quomodo haec coherent, filius familiæ exceptione se tueri potest, & mutuanti in turpem scilicet causam actio denegatur? nam exceptio presupponit actionem & si nulla esset actio, non daretur etiam exceptio; respondeo, quod distinguendum sit, utrum statim, & incontinenti constet pecuniam esse datam & consumptam in turpem causam, an vero res altioris sit indaginis: priori casu non datur actio, ergo nec exceptio: posteriori casu datur quidem actio, sed per exceptionem eliditur. arg. l. 9. ff. de jure jur.

Hoc SCtum non prohibet alios contractus cum filiis fam., ut venditionem, locationem, societatem, sed tantum mutui dationem, neque etiam cuiusvis rei mutationem, ut vini, olei, frumenti, nisi hoc fiat in fraudem SCti, veluti si, qui filios fam. credere non potest, ei vendit, ut ille rei præmium habeat in mutui vicem l. 3. §. pen. ff. ad SCt. Maced., sed tantum pecuniae numeratae d. l. 3. §. pen., ubi ratio redditur, nempe quia pecuniae datio perniciosa eorum parentibus visa est; in gratiam igitur parentum non filiorum, in utilitatem publicam & in odium fæneratorum hoc SCtum introductum est, quare etiam filius huic SCto validè renunciare non potest, nam unusquisque juri quidem suo, non vero alterius aut publico recte renunciat l. pen. C. & l. 38. ff. de pact., neque me movet in contrarium quod mulier SCto Vellejano renunciare possit l. ult. §. pen. ff. de SCto Vell., & quod in l. 11. ff. de SCto Maced. haec duo SCta equiparentur, nam illa comparatio catenus tantum illic fit, quatenus utraque exceptio & Vellejanii & Macedoniani possit opponi etiam post sententiam & in ipsa executione, (in transitu notandum existimo omnes exceptions regu-

lariter esse opponendas vel ante, vel post litem contestatam, tamen ante sententiam, sed hoc in quatuor casibus non ita procedere, quibus etiam post sententiam contra actionem rei judicatae opponi posse constat ut 1. Exceptio SCti Macedi, l. 11. ff. ibid. 2. Vellejani, d. l. 11. 3. Doli, l. 5. §. fin. ff. de del. Mal. & met. except. 4. Compensatio l. 7. ff. de comp.) , quæ autem convenient In aliquo tertio, non statim convenientiunt in omnibus, & ideo ex d. l. 11. nullum argumentum ad renuntiationem SCti Macedoniani inferri potest.

Quamquam ex auctoritate dicti SCti prohibitum est filius fam. mutuam pecuniam dare, tamen varii inveniuntur casus quibus hoc cessat licet pecunia mutuo data sit, idque quidem triplici modo, 1. Vel Ratione patris, 2. Vel ratione filii, vel 3. ratione causæ; & ideo ab instituto meo non plane alienum fore puto si quosdam, saltem horum casum præcipuos enumerem.

Ratione patris cessat hoc SCtum, 1. Si filius fam. citra patris voluntatem, iussionem vel mandatum creditas pecunias acceperit, postea autem pater contractum ratum habuerit, quia ratihabitio æquiparatur mandato l. 7. C. de SCto Maced. unde sequitur SCtum locum non habere, si patris voluntate vel jussu fecerit l. 2. C. eod. nec si pater solvere cæperit, quod filius ex mutuo debebat, quia quasi rarum habet, & solutione partis, sive ejus approbatione totum approbare videtur. l. 7. §. 15. ff. eod. præsertim si sine protestatione hoc fecerit. 2. Si filius fam. fuit institutor à patre constitutus, & ideo mutuum accepit l. 7. §. 11. ff. eod.

Ratione filii cessat, 1. Si filius fam. miles sit, quia tunc habetur pro patr. fam., & ex præsumptione omnis miles non creditur in aliud quidquam pecuniam accipere, & expendere, nisi in causas castrenses l. ult. in fin. C. eod. 2. Si filius fam. publicè patr. fam. videbatur, sic agebat, sic contrahebat, sic muneribus fungebatur l. 3. in pr. ff. eod. 3. Si filius fam. habet peculium castrense, quasi castrense, & plenum adventitium l. 2. ff. eod., nam eorum respectu patris vice fungitur. 4. Si se patr. fam. dixerit, & sic creditorem deceperit l. 1. C. eod. 5. Si patr. fam. factus debitum agnoscit, solvendo vel alio modo l. 2. C. eod.

Sed queritur si filius debitum solverit ex peculio profectitio, an patri non competit repetitio si nummi adhuc existent, & conductio si consumpti sunt, quod affirmandum videtur per l. 9. §. 1. in fin. ff. eod., sed

sed tunc è diametro obstat l. 14. ff. de reb. cred. ubi evidens, ejusdem Icti Ulpiani, antinomia occurrere viderit, quare ad conciliationem harum legum cum aliis mallem divinatoriam distinctionem admittere, quam antimoniam agnoscere, & proinde dicere, patri repetitionem non competere si consumptio sit facta bona fide, secus si malâ fide.

Illud quoque paucis expediendum est, an filius, si sui juris factus, partem debiti solverit, teneatur & reliquam partem solvere? affirmativam sententiam amplecti non vereor, per l. 7. §. 16. ad SCt. maced., neque ab eâ me dimovet l. 9. pr. ff. cod., quia à separatis non recte fit illatio, cum aliud sit dare pignus, aliud dare pecuniam vel solvere.

Ratione causæ cessat, 1. si filius fam. studiorum vel legationis causa alibi degat, & ad necessarios sumptus, quos patris pietas non recusaret, mutuo acceperit l. 5. C. cod. l. 7. §. 13. ff. cod. 2. Si pecuniam quam mutuo accepit, in rem patris vertat; patri enim non sibi accipit l. 7. §. 12. ff. cod. licet ab initio sic non accepit d. l. & §. 3. Si in id accepit pecuniam, ut pro sorore in dotem daret l. 17. ff. cod. 4. Si pecuniam accepit, ut solveret alii creditori, qui si peteret, nullâ exceptione summoveri posset l. 7. §. 14. ff. cod. 5. Si minor creditit filios fam. majori, & minor restituitur in integrum l. 11. §. 7. ff. de minor. nam magis ratio ætatis quam SCti habetur.

Sufficiat hos casus generaliter enumerasse, nam varii adhuc supersunt, & quidem tam multi, ut vix dicere verear, totam hanc prohibitionem totumque hoc SCtum solummodo esse inventum, & introductum nullamque aliam respicere causam quam mutuum turpe, ut ita non solum creditores à mutui datione abstinerent, sed ut & filios fam. materia ad omnem luxuriam, simul & ad contrahendum æs alienum præscinderetur.

XXI.

Reliquum est, & ordo me jam deducit ad actionem quæ oritur ex mutuo. Hæc actio vocatur condic̄tio certi, & est personalis, rei persecutoria, perpetua, stricti juris, daturque ei qui mutuum dedit ejusque heredibus adversus eum qui mutuum accepit, ejusque heredes in solidum, ad id ut restituatur tantum quantum datum est l. 9. & 2. ff. de reb. cred. si tamen in datione convenerit, ut minus reddatur, obstarer tantundem repetenti exceptio arg. l. 11. §. 1. ff. cod. & l. 48. ff. de pact.

Condic̄tio in genere est omnis actio personalis vindicationi opposita

C 3.

§. 15.

§. 15. *inst. de act. l. 25. ff. de obl. & act.* Certum est, cuius species vel quantitas quæ in obligatione versatur, aut nomine suo, aut eâ demonstratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque sit ostenditur *l. 6. ff. dereb. cred.* conditio certi ita considerata, competit ex omni causa, & ex omni obligatione, ex quâ certum petitur, sive ex certo contractu petatur, sive ex incerto, dummodo præsens sit obligatio, si vero sit in diem, vel sub conditione, ante diem, vel conditionis eventum agi non potest *l. 9. l. 24. ff. eod. l. 5. §. 3. ff. de obl. & act.* competit etiam ex variis aliis causis *d. l. 9. §. 1.* ut ex legati causa, ex lege aquilia, & ex causâ furtivâ, nam generalis est, & specialem adhuc ex mutuo dari multi interpres diversis argumentis contendunt, ut vide re est apud *Andr. Fachin. controv. lib. 2. cap. 90.*, & quoniam superiori thesi §. me demonstrasse censeo ex contractu nominato certam, & specialem produci actionem, ideo etiam eorum sententia mihi admodum probabilis videtur.

Personalis dicitur hæc actio, quia provenit ex obligatione, quæ actionem in personam parit: persona autem hic convenitur propter se, quia se obligavit, non propter rem petitam; quod tamen non sic accipiendum est, quasi qui ex obligatione agit, non hoc agat, ut rem quæ in obligationem deducta est, consequatur, sed sic, quod actione in personam quisque tenetur ob hoc solum, quod V. C. promisit se daturum esse, & hoc sive rem habeat, sive non habeat *Vinn. §. 1. inst. de act.*; actio personalis igitur est, quæ cum eo agimus qui nobis obligatus est ad faciendum, dandum, vel aliquid præstandum, & semper adversus eundem locum habet *l. 25. ff. de obl. & act.* nam obligatio debitorem sequitur ut lepra leprosum.

Rei persecutoria. Illæ actiones rei persecutionem continent, quibus persequimur quod ex patrimonio nobis abest *l. 35. ff. eod.* sive nostrum sit, sive nobis debeatur, in specie res dicitur abesse ex patrimonio quatuor modis; 1. Quod est in patrimonio nostro, sed ab aliis teneatur. 2. Quod in patrimonio esse desit, sed ex obligatione restitendum est, ut pecunia alteri mutuo data. 3. Quod nobis debetur ex contractu, sive nostrum sit, sive non. 4. Quodcumque ejus quod nobis abest estimationem continet, quo etiam referenda pena ex conventione promissa *§. ult. inst. de verb. oblig.* Actiones in rem omnes sine ullâ exceptione sunt rei persecutoriæ, quia in his nihil aliud persequimur, quam quod nobis abest, sic etiam fere omnes actiones quæ ex contra-

cau nascuntur, & quidem in specie hæc condicō certi ex mutuo §. 17.
inst. de act. ubi etiam ratio videri potest quare additur particula ferè,
nempe propter actionem depositi miserabilis, quam ipse imperator mox
mixtam, id est, rei & pœnæ persecutoriam vocat; quia autem actio de
quæ hæc agitū tantum rei persecutionem continet, ideo quoque datur
heredibus, & in heredes; nam omnes actions sive civiles sint, ipso
que jure, id est, jure civili competant, sive prætoriæ, quæ ex rei
persecutione oriuntur, dantur heredibus, & in heredes, & quidem in
solidum *l. 157. §. ult. ff. de reg. jur. l. 12. & 49. ff. de obl. & act., l. 7. §. 1.*
ff. depos., & ratio est 1. quia hæc actions descendunt ex contractibus,
in contractibus autem non sibi solum contrahens, sed & suis heredibus
prospicere censetur, 2. quia heres succedit in omne jus defuncti *l. 59.*
ff. de reg. jur. æquum igitur est, ut & illud quod defuncto debebat,
exigat, & quod ille rursus aliis debebat, exsolvat.

Perpetua. Actions civiles olim erant perpetuae & poterant quacun-
que quis vellet tempore in judicio institui, sed postea publicæ utilita-
tis causa hoc sublatum, & constitutum est, ut litium aliquis esset fi-
nis, tandemque aliquando possessores, & debitores securi forent *arg.*
l. 1. ff. de usucap., ut spatio triginta annorum finirent, & quatinus ita
hac ratione tempus certo annorum numero definitum sit, nihilominus
tamen hæc actions (licet abusivè quia nihil perpetuum dici potest,
quod finitur) dicuntur perpetuae, respectu aliarum quæ annuatantum
sunt, ut prætoriæ, & sic tunc verba secundum subjectam materiam
sunt intelligenda.

Stricti juris hæc actio est, nimur quia contractus ex quo descen-
dit stricti juris est, qualis autem causa, talis quoque debet esse effectus
& finis; & ut ego etiam ad finem mei instituti perveniam, hoc tantum
addam: Quod si plures mutuam pecuniam dederint, unus eorum eam
totam repetere non potest, sed suam solam portionem *l. 9. C. scert. pet.*
& similiter quod si plures acceperint, singuli non in solidum, sed pro
sua portione quique conveniri deberet, nisi expresse in contrarium con-
venerit, sicuti & plures heredes ejusdem debitoris hac actione tenentur
proportionibus hereditariis, ut scilicet non habeatur ratio quantum
quisque commodi ex hereditate acceperit, sed pro quotâ parte sit he-
res. *l. 1. C. cod.*

ADDITAMENTA.

I.

Actiones suâ naturâ mixta id est in rem & in personam, nondantur.

II.

Matrimonium non potest contrahi eâ lege , ut copula carnalis non intercedat.

III.

Canis non est quadrupes.

IV.

Si quis vitiatam pro Virgine duxerit, nuptiae subsistunt.

V.

Liberi in conditione positi, non censentur vocati ex dispositione.

VI.

Per substitutionem pupillarem 'excluduntur omnes heredes legitimi , etiam mater quoad ipsam legitimam.

F I N I S.